Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 544. Vigilii Pap. Annus 5. Ivstiniani Imp. 18. Totilæ Reg. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

nitis barbarus profeciſſet, effectus inſuper ſummæ iuſtitiæ cultor cum videlicet anno ſequenti in armigerum ſuum animaduerterit, quod virgini vim intuliſſet, cui & mortē affecti armigeri bona dari voluit: quæ omnia fuſius Procopius ſcriptis eſt proſecutus.

XV. Quod vero ad res bellicas Orientales pertinet, rurſum rupto fœdere Rex Perſarum in Romanum Imperium immiſit exercitum: hoc enim anno à Procopio ſecunda ponitur Coſrhois in Romanos expeditio, cum Beliſarius aduerſus eum bellum geſturus in Perſidem miſſus eſt: vbi vno tantum caſtro capto, eodemque poſtea amiſſo, nihil præterea memoria dignum eſt factum, Deo aduerſus Romanos pro Perſis pugnante, cum videlicet ægritudo inuaſerit Romanum exercitum, adeo vix pars eius tertia ſeruari potuerit: ſcribit hæc Procopius a pluribus: ſed ad initium iſta ſatis.

a Procop. de bello Perſ. lib. 2.

IESV CHRISTI
Annus 544.

VIGILII PAP. Annus 5. IVSTINIANI IMP. 18. TOTILÆ REG. 3.

I. QVingenteſimus quadrageſimus quartus Chriſti annus notatus reperitur in Conſularibus tabulis poſt Baſilij Conſulatum tertio, idemque à Procopio numeratus belli Gothici nonus: quo Totilas Vrbem cogitans eam prius litteris ad Senatum iterum ſcriptis, quã armis tentare decreuit. ſed cum Ioannes Præfectus, Cõſtantinopoli olim miſſus, illic eſſet, Senatum in officio continens, ille reſcribere vetuit: cuius rei cauſa Totilas indignatus, Romam verſus ad eius obſidionem exercitum mouet: cum iſtis admonitus Iuſtinianus, Beliſarium è bello Perſico reuocans in Italiam miſit, hæc ſunt, quæ hoc anno nono Gothici belli accidiſſe Procopius tradit, addit que hoc item anno factum, vt omnes, qui Arianæ hæreſis Romæ ſuſpecti haberentur, ne proderent Gothis iiſdem Arianis Vrbem, inde protinus pellerentur, id opera (vt creditur) Vigilij Papæ, à quo etiam illud procuratum fuiſſe videtur, vt Beliſarius in Italiam mitteretur. Hæc quidem primo accipe à Procopio, qui ait b: *Ipſa vero cum maiori & reliqua parte exercitus ad circumiectas Vrbi loca ductare ſtatim contendit. Cuius profectione cognita Imperator, etſi fortiſſime adhuc ſibi inſiſtentib. Perſis, mittere rurſum in Italiam Beliſarium cogitur*, hæc ipſe. Quod vero de his rogatu à Vigilio Papa Iuſtinianus Imperator annuerit, audi quæ Arator in præfatione ad ipſum Vigilium præfixa Heroico carmini, quo Acta Apoſtolorum cecinit, habet his verſibus:

b Procop. de bello Goth. lib. 3.

Mœnibus vndiq; vis bellorum incendi vernens,
Pars ego tunc populi tela pauentis eram:
Publica libertas Vigili ſanctiſſime Papa,
Atque inclusi ſoluere vincla gregis.
De gladio rapiuntur oues, Paſtore miniſtro,
Inque humeris feruntur, te reuocante, pio.
Corporum ſatis eſt ſic euaſiſſe periclum,
At mihi plus animæ naſcitur inde ſalus.
Eccleſiam ſubeo, dimiſſa naufraga aula,
Perfida mundani deſero vela freti, &c. ad finem vero hæc habet.
Te duce, tyro lego, te dogmata diſco magiſtro.
Si quid ab ore placet, laus monitoris erit. hæc ad Vigiliũ Papam Arator: qui hoc eodem anno iam ordinatus Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus ipſum nobile elucubratum à ſe carmen, quo luculenter Apoſtolorum Acta à Luca conſcripta proſecutus eſt, egregium opus Vigilio Papæ obtulit, nam quo die, menſe & anno id factum, continet Vaticanus codex eiuſdẽ carminis, in quo iſta leguntur.

II. *Beato Petro adiuuante oblatus eſt huiuſmodi codex ab Aratore ſubdiacono ſanctæ Eccleſiæ Romanæ. & ſancto & Apoſtolico viro Papæ Vigilio, & ſuſceptus ab eo die 8. Idus April. in Presbyterio ante Confeſſionem beati Petri cum ibidem plures Epiſcopi, presbyteri, diaconi & cleri pars maxima intereſſent. Quem cum ibidẽ legi pro aliqua parte feciſſet, Surgentius vir venerabilis Primicerius ſcholæ Notariorum in ſcrinio dedit Eccleſiæ collocandum. Cuius* * *beatitudinem litterati omnes doctiſſimique continuo rogauerunt, vt eum iuberet publicè recitari. Quod cum fieri præcepiſſet, in Eccleſia Beati Petri, quæ vocatur Ad Vincula, religioſorum turba conuenit; atque eodem Aratore recitante, diſtinctis diebus ambo libri, ſeptem vicibus ſunt auditi, cum vnius medietas libri, tantũmodo legeretur propter repetitiones aſſiduas, quas cum fauore multiplici poſtulabant. Eadem hæc repetitio facta eſt his diebus: Prima idibus Aprilis, ſecunda decimoquinto Kalendas Maij. quarta vero tertio Kalendas Iunij. tertio anno poſt Conſulatum Baſilii V. C. Indictione VII.* hæc ibi. Porro de eodem Aratore poeta qui Apoſtolorum Acta metro cecinit, hos habet verſus Venantius Fortunatus c:

ARATOR SVBDIACON. CARMEN IN ACT. APOST. VIGILIO OFFERT.

* Cum eius.

Sortis Apoſtolicæ quæ Geſta vocantur & Actus,
Facundo eloquio vates ſulcauit Arator. At de ipſo ſatis.

c Fortun. carm. de Vita S. Martini lib. 1.

III. Quod autem ad Orientales res pertinet, hoc anno à Procopio d bellum Perſicum ſcriptis proſequente tertia ponitur Coſrhois in Romanorum ditionem irruptio, cum Sergiopolim tentauit ciuitatem, quæ præſidio S. Sergij munita, eiuſque patrocinio defenſa illæſa permãſit: de qua primum quid idem Procopius tradat, audiamus: *Vere* (inquit) *poſtea ineunte. Coſrhoes tertiam in Romanorum regionem irruptionem maximo fecit exercitu, Euphratem dextrorſus habens Candidus autem Sergiopolis Præſul poſtquam Perſarum exercitum prope mœnia perſpexit, timens & ſibi & ciuitati, quod pacta inter eos priora non ſeruauerit, ſeſe vltro excuſans, Coſrhoi occurrit, ac rogans, ne propterea ciuitati ſit iratus: nam ei pactam pecuniam numquam fuiſſe, quam ei pro redemptis Surenis (vti ſupra commemorauimus) debebat. Coſrhoes autem ipſum in cuſtodiam duci, atque corpus eius probris omnib. affici, pecuniam deinde duplam, atque prius conuenerat, exſolui iuſſit. Ille vero Sergiopolim aliquos mitti rogauit, qui omnem pretioſam templi ſupellectilem auferrent, cum quibus etiam alios ipſe miſit. His Sergiopolitani quæcunque ſunt iuſſa, tradidere, ſibi nihil aliud relictum dicentes. Cumque Coſrhoes non ſatis hoc eſſe diceret, aliaque expeteret, adhuc alios de bonis eorum nomine quidem veſtigatũ miſit, re autẽ vera vt vrbem caperet.*

d Procop. de bello Perſ. lib. 2.

TERTIA COSHROIS IN ROMANOS EXPEDITIO.

IV. *Sed quando diuinitus datum non erat, vt ea potiretur, quidam è Sarracenis Chriſtianus alioquin ſub Alamandaro militans, Ambrus nomine, nocte per muros aſcendens, omne conſilium ciuibus nunciauit, ſuaſitque nullatenus Perſas in vrbem recipiendos. Sic igitur à Coſrhoe miſſi, ſine effectu reuerterunt. Quamobrem idẽ vrbẽ euertere ſtatuit: protinusq; exercitu ſex milliũ miſſo, mœnia obſidere atque oppugnare cœpit. Sergiopolitani autem fortiter ab initio reſiſtentes, deinde periculum metuentes ciuitatem hoſti dedere decreuerunt: milites enim non plus quam ducenti erant. Sed Ambrus rurſus ad mœnia noctu veniens, duorum tantum ſpatio dierum Perſarum obſidionem duraturam dixit, aqua eis deficiente. Quapropter illi nullatenus in ſermonem cum hoſte venerunt. Interim vero barbari, premente ſiti, inde diſcedentes, ad Regem venerunt, qui Candidum adhuc non dimiſerat: oportebat enim (exiſtimo) illum tamquam periurum à ſacerdotio deiici. Et hæc quidem ſic ſe habuere.* hucuſque de his Procopius, qui ſubdit in fine: *At Beliſarius rurſus ab Imperatore accerſitur Byzantium, vt in Italiam iterum mitteretur, rebus iam Imperii collabentibus.*

SERGIOPOLIS DIVINITVS DEFENSA.

V. De rebus autem ſacris ad ipſum Coſrhoem aſportatis è templo hæc addit Euagrius e: *Simul vt mœnia aggreditur, fit vtrinque ſermo & colloquium de ſeruanda ciuitate: conuenit que inter eos, vt ſacris theſauris ac monumentis (inter quæ Crux à Iuſtiniano & Theodora miſſa fuit) vrbs redimeretur. Vbi iſta fuere ad Coſrhoem apportata, percunctatur à ſacerdote & Perſis, qui cum eo ad eam rem miſſi erant, ecquæ alia ſupereſſent? Cui quidã eorum, qui verum dicere minime conſueuerat, reſpondet, alia etiam adhuc monumenta reſtare à paucis quibuſdam ciuibus occultata. Relinquebatur autem ab his, qui theſauros & monumenta attulerant, auri argentique prorſus nihil, ſed alterius cuiuſdam materiæ multo præſtabilioris, quæ Deo omnino dicata fuit, ſanctiſſimas dico reliquias Sergij inuicti Chriſti martyris, quæ in capſa erant oblonga argentoque obducta repoſitæ.*

e Euagr. lib. 4. c. 27.

ECCLESIÆ THESAVRI AD COSRHOEM DELATI.

VI. *Itaque poſtquam Coſrhoes his verbis perſuaſus, totum exercitũ*

COSRHOES DIVINITVS AB VRBE REPVLSVS.

ad vrbem excidendam timeſceret, derepente in ipſis mœnibus magna hominum multitudo clypeis munita viſa eſt ciuitatem propugnare. Quam qui erant à Coſrhoe miſſi conſpicati, reuerterunt, ac cum multitudinem, tum armaturam admirati, ad Coſrhoem rem referunt. Vbi autem rurſus certior factus eſt, paucos admodum in vrbe remanere, eoſque vel ætate exacta eſſe, vel tenera & immatura (quippe omnes, qui firma fuere ætate & robuſta, è medio ſublati erant) pro certo nouit illud miraculum à ſancto martyre editum: & propterea metu perculſus admiratuſque Chriſtianorum fidem, domum reuertitur: quem ferunt ſub extremum ætatis tempus diuino regenerationis lauacro tinctum fuiſſe. hæc Euagrius & ipſe ſui temporis res geſtas ſcribens, eaq; addens, quæ à Procopio prætermiſſa ſciret. Subdit his vero ipſe Procopius: *In anno quoque Coſrhoes habuit, recta in Palæſtinam tendere, vt tum alia, tum Hieroſolymitani templi ſacram ac pretioſam ſupellectilem prædaretur.* quo minus autem id perfecerit, inde accidit, quod Beliſarius rurſus hoc anno aduerſus eum miſſis* occurrit, egitque, vt Coſrhoes pacem cum Imperatore denuo iuramento firmaret. Cuius rei cauſa percommode euenit, vt Beliſarius iterum in Italiam mitteretur (ſicuti dictum eſt) vt periclitanti ibi Imperio præſto eſſet.

* miſſus

VII. *a Procop. de bello Perſic. lib. 2.*

PESTIS IMMISSA PER ANGELOS MALOS.

Hoc eodem anno lues magna in Oriente graſſari cœpit de qua iſta admiratione digna Procopius a: *Fuit inſuper iiſdem temporibus ingens peſtilentia, cui remedium nullum inuentum, præterquam ex Deo, vnde venit: quamquam multi arrogantes Phyſiologiæ cauſas commentari contendant, vanas quidem omnes & inueſtigabiles, tantumque ſermone decipientes. Hic enim morbus nulli neque ætati, neque ſexui, neq; loco parcebat. Vnde vero initium habuerit, aut quomodo perimebat, referam. Cœpit enim ab Ægyptiis, qui apud Peluſium ſunt: hinc vniuerſam terram comprehendit, itinere ſemper procedens, nullas reliquit locorum latebras, nec his eadem corpora repetebat. Incipiebat autem hoc modo. Phantaſmata dæmonum multis humana ſpecie viſa ſunt: quod enim in ipſa inciderent, percuti ſe ab aliquo viro putabant, morbuſque ſubito irruebat.*

VIII. PESTIS EFFECTVS MIRANDI.

Nonnulli ab initio verbis ſanctis ac aliis (vt poterant) ſupplicationibus eum auertere fruſtra quærebant: ac tamquam lymphati, ſeu ſpiritu maligno agitati, amicos vocãtes minime audiebant, in locis quoq; anguſtis coercebantur. Nonnullis vero in ſomnis hæc eadẽ accidebant. Corripiebantur enim ſtatim febre, calore coloreq; pariter corporis nuſquam mutatis; neq; vlla nẽ inſlammatio (vti febricantibus ſolet) ſed remiſſa quædam ab initio, vſque ad veſperam febris erat: adeo vt nullo adhibito medicamento, nullam opinionem periculi præberent. Eodem vero die, nonnullis ſequenti, aliis nõ multo poſt tuber ſuccreſcebat, aliis alibi. Præterea quibuſdam ſomnus inerat profundus, nonnullis acuta quædam ſtultitia; & primum quidem omnium obliti rerum, etiam cibum negligentes moriebantur. In ſtultitia vero corripi ſibi viſi, aut inuadi clamabant, auertenteſque fugiebant: quorum curatores & miniſtri dira atque intoleranda patiebantur, adeo vt non minus ipſi, quam ægroti miſericordia digni fuerint, non quod morbo & ipſi afficerentur (non enim is contagione nocebat) ſed quod furentes, aut è lecto ſe præcipitare, aut ad flumina ob ſitim properare volentes, vix retinebant. Peribant aliqui eodem die, nõnulli multis poſt diebus. Tribus igitur menſibus huiuſcemodi lues Cõſtantinopoli præualuit, & ab initio quidẽ pauci, deinde in ſingulos dies quinque, ſæpius etiam decem millia efferebantur: adeo vt plures etiam diuites miniſtris iam omnibus extinctis, curatorum penuria magis, quam morbo perirent, & inſepulti manerent,* ſubdit his Procopius de narrata opera ab Imp. per Theodorum Referendarium, vt affl ctatæ ciuitati ſubſidio eſſet.

* medio,

IX. *b Euag. lib. 4. c. 28.*

PESTIS AD ANNOS PLVRIMOS PROPAGATA.

Meminit eiuſdem peſtis Euagrius b, pluraque addit à Procopio prætermiſſa, diuerſaq; narrat, corrigendus in eo, dum ait, biennio poſt captam à Perſis Antiochiam eas cœpiſſe: cum ex Procopio, euidenter appareat tum contigiſſe, cum Beliſarius è bello Perſico in Italiã miſſus eſt: cuius potius fidem ſectandam putamus, quam Euagrij, quẽ poſt quinquaginta annos ea ſcriptis mandaſſe, idem ipſe teſtatur. Porro ætatem Procopij longe morbum ipſum prætergreſſum eſſe oportuit, cum ſcribat Euagrius annos quinquaginta duos inter homines graſſatum eſſe, neque Orientem ſolum, ſed vniuerſum ferme terratum orbem ab eodem fuiſſe depaſtum; nonnullaſque vrbes omnibus fuiſſe habitatoribus per eamdem peſtilentiam orbatas, atque in illa ipſa loca, quæ antea inuaſiſſet, ſæpe reuerſam; plura inſuper ſymptomata in ægrotantibus accidiſſe, ac plane diuerſa ab eis, quæ idem Procopius tradit, de quibus tu ipſum conſulas.

X. DEI GENITRIX PESTEM SEDAT CONSTANTIN.

Quod vero non amplius, quam tribus menſibus ciuitatem Cõſtantinopolitanam occuparit, miraculo tribuitur, quod licet neq; à Procopio, vel Euagrio recenſeatur, haud tamẽ obliuione ſepultum penitus relictũ eſt: nam tantũ beneficium ſolemni die feſto in honorem Dei genitricis Mariæ inſtituto, anniuerſariaque die in Eccleſia repetendo remanſit poſteris perpetua memoria conſignatum, cum videlicet idem Hypapanti eſt nominatus, nempe humilis occurſus Simeonis, cum Deipara ſuum filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in templum intulit; cuius feſti diei in Occidente Gelaſiũ Papam fundamẽta ieciſſe, cum Lupercalia penitus abſtulit, in Notis ad Romanum Martyrologium diximus. Porro de hac feſtiuitate Dei genitricis, præter publicis tabulis commendatam teſtificationem: quam Græci in Menologiis habẽt, alij c tum Græci, tum Latini auctores meminere. Sed & ex his, quæ dicta ſunt, corrigas neceſſe eſt, quod peſtẽ iſtam alij decimo Imperatoris Iuſtiniani anno, alij nono, vel alij alio contigiſſe dixere: nullam enim inſignioris nominis peſtem ſub eius imperio accidiſſe præter iſtam, de qua dictum eſt, ipſe ſignificat. Cum vero Imperator Iuſtinianus accepiſſet Perſas laborare peſte, miſit aduerſus eos exercitum, qui ab illis ignominioſe fugatur & trucidatur, rem geſtam pluribus Procopius narrat.

c Niceph. lib. 17. c. 18. Cedren. in compend. Miſcel. an. 15. Iuſt. Sigebert. in Chron. anno 542.

XI.

Hoc anno defuncto S. Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, in locum eius Auxanius ſubſtituitur; cuius audita promotione Vigilius Papa per legatos ipſius Romam miſſos ad petendum pallium, has ad eum literas dedit:

VIGILII PAP. LITT. AD AVXAN. AREL. EPISCOP.

Dilectiſſimo fratri Auxanio Vigilius.

Scripta de ordinatione charitatis veſtræ, Ioanne filio noſtro presbytero, ſed & Terentio diacono deferentibus, cum animi ſpiritualis gratulatione ſuſcepimus, Domino gratias referẽtes, quia hoc in Eccleſia Arelatenſi factum eſt, quod & canonibus, & deceſſorum noſtrorum regulis cõueniret, quatenus ex ſequenti ordine ſacerdotij tua fraternitas ad Pontificalis proueheretur apicem dignitatis, & diuina in te electionis iudicium compleretur, ſicut ſcriptum eſt d: Omne datum optimũ & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Et iterum doctor Gentium Apoſtolus Paulus dicit e: Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Supereſt, vt Deus, qui nos immeritos ineffabili miſericordia honorem miſerans Pontificalem habere pro ſua pietate concedit, donet & præmium: vt illud in nobis compleatur, quod Chriſti Dei & Saluatoris noſtri verba teſtantur, dicentis f: Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Et iterum g: Quis putas, eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem.

d Iac. 1.

e Heb. 5.

f Matth. 25.

g Matt. 24.

XII.

Sunt etiam, quæ per Dei gratiam ſuper fraternitate veſtra ad facienda bona hortentur exempla. Si enim deceſſoris tui illa, quæ à ſede Apoſtolica de fundamento Petri Dominica doctrina bona ſuſcipiens, actibus exæquauit, imitari volueris, & à ſedis Apoſtolicæ in nullo deuiaueris conſtitutis; ſicut ſcriptum eſt h: coronam ſine dubitatione percipies, quam dedit Dominus diligentibus ſe. De his vero, quæ charitas veſtra tam de vſu pallij, quam de aliis ſibi à nobis petiit, debere concedi, libenti hoc animo etiam impræſenti facere ſine dilatione potuimus, niſi cum Chriſtianiſſimi Domini filij noſtri Imperatoris hoc (ſicut ratio poſtulat) voluiſſemus perficere notitia, Deo auctore: vt & vobis gratior præſtitorum cauſa reddatur, dum quæ poſtulaſtis cum conſenſu Chriſtianiſſimi Principis conferuntur, & nos honorem fidei eius ſeruaſſe cum competenti reuerentia iudicemur. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Datum Decimoquinto Kalend. Nouemb. P.C. Baſilij V. C. III.

h Iac. 1.

XIII.

Ad poſtremum hic tibi ſubiicimus epitaphium nobilis monumenti, quod in citeriori Hiſpania, haud admodum longe ab Hiſpali, in loco, qui vulgo dicitur Al-

cala

cala delecto, poſitum eſt in eccleſia dicta Sancti Gregorij.

† IN HOC TVMVLO
IACET FAMVLVS DEI
GREGORIVS QVI VI-
XIT ANNOS PL. MIN.
L. RECESSIT IN PACE
XII. NONAS FEBR.

ERA DLXXXII. eſt is præſens annus. Ferunt cõm ab accolis atque vicinis populis eum, qui in hoc ſepulchro conditus habetur Gregorius, eſſe, eumque pluribus coruſcare miraculis, multaque ineſſe tum in ipſo ſepulchro ſigna, tum in parietibus antiquæ picturæ, quibus viri ſanctitas poſſit intelligi.

XIV. Verum quod abſque ſcripti alicuius monumentis Gregorij iſtius ob Gothorum & aliorum barbarorum Hiſpanias vaſtantium illata damna obſcura prorſus memoria remanſit: conſultum fuiſſe videtur, vt Magnus ibidem Gregorius Pontifex Maximus coleretur duodecima menſis Martij, qua eiuſdem Pontificis natalis dies celebrari conſueuit, ſecundum iſtud Domini ad Samaritanam: *Nos adoramus quod ſcimus.* Eodem quoque modo viſus eſt conſuluiſſe ipſe S. Gregorius Papa cum ab Auguſtino accepiſſet, coli in Anglia quemdam incognitum Sixtum martyrem: dum vt conſeruaretur illic memoria Sixti martyris, & populus, quem certo ſciret eſſe martyrem Sixtum coleret, miſit illuc certas reliquias Sixti martyris: cum tamen ibidem S. Gregorius tradere videatur, ſatis eſſe poſſe ad ſanctitatem viri indicandam & cultum eidem impendendum, ſi corpus incognitum, quod credatur Sancti, miraculis coruſcet.

XV. Habet Ambroſius in Chronicis ſuis ex Reſendio eiuſdem anni duo hæc epitaphia exarata eodem ferme modo his verbis:

PAVLA, CLARISSIMA FEMINA, FA-
MVLA CHRISTI, VIXIT ANNOS
XXIIII. MENSES DVOS, RECES-
SIT IN PACE, XVI. KAL. FEBRVA-
RIAS, ERA DLXXXII. itemque aliud eiuſdem anni ſic ſcriptum.

DEPOSITIO PAVLI, FAMVL. DEI
VIXIT ANNOS L. ET VNO. RE-
QVIEVIT IN PACE. D. IIII. IDVS
MARTIAS. ERA DLXXXII. Habes, quod & ex his diſcas, nullum penes illos antiquos Chriſtianos nobiliorem fuiſſe titulum, quam, dici famulum Dei.

IESV CHRISTI
Annus 545.

VIGILII PAP. Annus 6. IVSTINIANI IMP. 19. TOTILÆ REG. 4.

QVi ſequitur ordine temporum Chriſtianus quingenteſimus quadrageſimus quintus poſt Baſilij Conſulatum quartus idem belli Gothici decimus à Procopio numeratur: cuius initio Belliſarius reuocatus à bello Perſico (quod male pacis velamento compreſſum, adhuc vigebat) in Italiam veniens Romam ſe contulit: hæc pluribus Procopius, cum agit de bello Gothico, d ac etiam in hiſtoria de bello Perſico e. Quo tempore Totilas ad Tiburis obſidionem conuerſus, eo per proditionem potito, ciues omnes vna cum ciuitatis Præſule internecioni ſubiecit, ſummæ crudelitatis edens exemplũ. Beliſarius vero in Æmilia conſtitutus, quod non tantum ſibi virium eſſe ſciret vt collatis ſignis cum Gothis decerneret, impedimento eſſe Totilæ conatus eſt, ne munitionib. à Romanis detentis potiretur, miſitque Romã ex ſuis, qui Vrbem pro virib. tutarentur, hæc ſummatim ex eodem Procopio de rebus bellicis dicta ſunto. Quod autem in Miſcella legitur, Beliſarium ipſum ſe Romam contuliſſe, atq; crucem auream ſancti Petri baſilicæ obtuliſſe, id quidem per ſuos factum oportuit: ſiquidem eum minime eſſe Vrbem ingreſſum, ex Procopio res ſingulas exactiſſime proſequente colligi poteſt. Referri poterat eiuſmodi oblatio, cum Vuandalis deuictis Romam Beliſarius venit: verum cum ſub Vigilio Papa factum tradat, nihil eſt, quod ad ea tempora reduci valeat: Sed eius verba reddamus, vbi ſic ait f:

Beliſarius victor Romam venit, auream que crucem centum librarum, pretioſiſſimis gemmis exornatam, in qua ſuas victorias deſcripſerat, beato Petro per manus Vigilij Papæ obtulit. hæc ibi. licet addatur id præſtitum, cum iterum Vuandalos ſubieciſſet, ſed (vt diximus) nequaquam Vigilius tunc Romanæ præerat Eccleſiæ. De eadem cruce aurea apud Anaſtaſium iſta leguntur: *Obtulit beato Petro Apoſtolo per manus Vigilij Papæ crucem auream cum gemmis penſantem libras centum, in qua ſcripſit victorias ſuas, cereoſtrata argentea deaurata maxima duo, quæ ſunt vſque hodie ante corpus beati Petri Apoſtoli. ſed & multa alia dona & eleemoſynas pauperum elargitus eſt: fecit etiam Beliſarius Patritius xenodochia in via Lata & in Flaminia, iuxta ciuitatem Ortas monaſterium ſancti Iuuenalis, vbi & poſſeſſiones & dona multa largitus eſt.* hæc ibi. ſed de his, quæ ad ſtructuras ædium pertinent, hæc olim cũ primo in Italiam venit ab ipſo facta eſſe, omnes æque puto conſentient, qui res ipſius à Procopio ſcriptis mandatas exploratas habent.

f Miſcel. lib. 16

II. DONA OBLATAS PETRO A BELISARIO.

III. Eodem quoque anno, nempe quarto poſt Conſulatum Baſilij, Vigilius Papa, petente etiam Childeberto Rege Francorum, pallium dedit Auxanio Epiſcopo Arelatenſi, eidemq; cum ſuas vices delegaſſet, commonitorias eiuſmodi litteras ſcripſit his verbis.

Dilectiſſimo fratri Auxanio Vigilius.

VIGILII PAP. EPIS. AD AVXA. ARELAT. EPIS. COMMONITORIA.

Sicut nos pro tua charitatis affectu & pro glorioſiſſimi filij noſtri Regis Childeberti Chriſtiana deuotione mandatis, vices noſtras libentiſſima voluntate contulimus: ita fraternitatem tuam conuenit Deo placitis operibus tantæ ſedis auctoritate digna conuerſatione vti atque diſponere, vt bonis actibus innoteſcens, rectum circa charitatem tuam iudicium noſtræ dilectionis oſtẽdas. Conuenit enim nos Doctoris Gentium mandata recolere, quibus Timotheum diſcipulum ſuum ſtructionibus ſanctis hortatur, dicens g: Exemplum eſto Fidelium in verbo in cõuerſatione in charitate, in fide, in caſtitate. Et ſicut idem Apoſtolorum primus ſaluberrima admonitione præcipiens h, Paſcite, quim vobis eſt, gregem Dei, conſequenti adhortatione ſubiungit: Forma facti gregis ex animo, Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.

g 1. Tim. 4.

h 1. Petr. 5.

IV. *Si quæ ergo inter fratres & Coepiſcopos noſtros in locis charitati veſtri præſenti auctoritate commiſſis, ſeminante illo auctore ex antiquitate * Zizaniæ, diſſenſiones emerſerint: adhibitis vobiſcũ ſacerdotibus numero competenti, cauſas canonica & Apoſtolica æquitate diſcutite, ea modis omnibus prælato iudicio ſtatuturi quæ Deo placitis deceſſorum noſtrorum poſſint regulis conuenire.*

*Iniquitate.

*Si qua vero certamine aut de religione fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, euenerint: totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa relationis ad nos feriem deſtinantes Apoſtolicæ ſedis terminanda ſeruate. vt vniuerſis à fraternitate veſtra cõpetenti ratione diſpoſitis, pax, quæ * voce collata eſt eccleſiæ Dei quo vna eſt in toto Orbe diffuſa, ſtabili firmitate ſeruetur, ne antiqui hoſtis poſſit quaſſatione vexari, in illius petra Chriſti Dei Domini & Saluatoris noſtri erectione firmata ſtabilitate perſiſtit. Quæ cũcta vt fraternitas veſtra melius per Dei gratiam poſſit implere, vniuerſis Epiſcopis, quibus te præeſſe voluimus, auctoritatis noſtræ eſt ſerie declaratũ. Nullus ergo de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commiſſis (ſicut & ad eos data loquitur noſtra præſcriptio) in longinquis quibuslibet locis audeat proficiſci, niſi ſolemni more (decesſore noſtro prædeceſſori veſtro ſimiliter concedente, conſueuerant) Formatam veſtræ charitatis acceperit.*

*Saluatoris.

VI. *Oportet ergo fraternitatẽ veſtram inceſſantib. ſupplicationib. Deo noſtro preces effundere, vt dominos filios noſtros clementiſſimos Principes Iuſtinianum atque Theodorã ſua ſemper protectione cuſtodiat, qui pro his nobis veſtræ charitati mãdandis, ſuggerẽte glorioſiſſimo & excellentiſſimo filio noſtro Patricio Beliſario, pro quo item vos conuenit exorare, pia præbuerũt deuotione cõſenſũ. Hortamur quoque, vt ſacerdotalis opera inter glorioſiſſimũ virũ*